

DE RERVM NATVRA I

infinita aetas anteacti temporis omnis  
quod fregisset adhuc disturbans dissoluensque,  
numquam reliquo reparari tempore posset. 560  
at nunc nimirum frangendi reddit a finis  
certa manet, quoniam refici rem quamque videmus  
et finita simul generatim tempora rebus  
stare, quibus possint aevi contingere florem.  
huc accedit uti, solidissima materiai 565  
corpora cum constant, possint tamen omnia reddi,  
mollia quae fiunt, aer aqua terra vapores,  
quo pacto fiant et qua vi quaeque gerantur,  
admixtum quoniam semel est in rebus inane.  
at contra si mollia sint primordia rerum, 570  
unde queant validi silices ferrumque creari  
non poterit ratio reddi; nam funditus omnis  
principio fundamenti natura carebit.  
sunt igitur solida pollutia simplicitate  
quorum condenso magis omnia conciliatu 575  
artari possunt validasque ostendere viris.  
porro si nullast frangendis reddit a finis  
corporibus, tamen ex aeterno tempore quaeque  
nunc etiam superare necesset corpora rebus,  
quae nondum clueant ullo temptata periclo. 580  
at quoniam fragili natura praedita constant,  
discrepat aeternum tempus potuisse manere  
innumerabilibus plagis vexata per aevum.

Denique iam quoniam generatim reddit a finis  
crescendi rebus constat vitamque tenendi, 585  
et quid quaeque queant per foedera naturai,  
quid porro nequeant, sancitum quandoquidem exstat,  
nec commutatur quicquam, quin omnia constant  
usque adeo, variae volucres ut in ordine cunctae